



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 103. Nancejum Campo-Bassii proditione a Lotharingiæ Duce captum

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](#)

Sæcul. XV.  
A. C. 1476.

tia tantopere exagitabatur, ut non solum a corporis valetudine, sed etiam ab animi tranquillitate penitus discessisse videatur. Insuper tam gravi sanguinis aestu seruebat, ut nullo remedio pectus refrigerari potuerit, quamvis proscripto vini usu duntaxat hordei decocto potaretur; Cum vero paulo post nova bilis accessio succederet, non minori frigore torpebat, quam antea calore aestuabat, adeo, ut Medici nequidem generofissimo vino naturalem calorem revocare possent, testaturque Comminæus, quod curcubitatæ accensa stupa repletæ pectori eo sine fuerint adhibitæ, ut earum ope refugus sanguis ad cordis sinum attraheretur. Potissimum vero Dux assida curarum vexatione, atque animi angoribus noxiæ humorum intemperiem nutriebat, quæ tandem in tetram melancholiæ degenerabat. His malis agitatus Campo-Bassio, cuius supra meminimus, negotium dedit, ut Nancejum obsidione liberaret. Hic autem insigni Ducis sui in eum fiducia adeo nihil commotus erat, ut etiam nova indies in ejus pernicie consilia anno volutaret.

Commin. l. 5.  
cap. 5.

### §. CIII.

*Nancejum Campo-Bassii proditione a Lotharingiæ Duce captum.*

Quippe Campo-Bassius denuo Ladicum

vicum XI. ad Burgundi excidium sollicitabat, opera usus Credonensis To-  
parchæ, qui sub Franciæ vexillis cuidam  
expedito militum agmini in Barrensi Du-  
catu imperabat. Verum cum Rex e-  
jusmodi facinori aures præbere denuo  
detrectaret, Campo-Bassius Lotharingiæ  
Ducem ad scelus inducit, eidem pollici-  
tus, se impediturum, ne Burgundus Nan-  
cei obfessis auxilio adesset; huncque  
in finem vario commento Ducem Bur-  
gundiæ nonnisi quarto ab urbe Nanceja-  
na lapide cum suo exercitu distantem di-  
stinuit, eidem suggestens, præsidiarios  
milites non usque adeo in arcto positos  
esse, ac illi prescriberent. Interea tamen  
urbs die sexta Octobris certis conditioni-  
bus se dedere parabat, cumque Angli,  
occiso eorum Duce Cochino, Guberna-  
toris imperia ultra accipere renuerent,  
ipsimet cum Lotharingiæ Duce de legi-  
bus dedendæ civitatis articulatim ege-  
runt, & Gubernatorem, potissima præsi-  
diariorum militum parte adversus eum  
concitata, compullerunt, ut deditio-  
pactionibus subscriberet. Ergo Nance-  
jun Lotharingio traditur. Altera au-  
tem ab urbe capta die Burgundus cum  
copiis suis accurrit, acceptoque deditio-  
nis factæ nuntio cunctationem suam in-  
cusat, probe intelligens, urbem abs dubio  
hostibus fuisse liberatam, si celerius sup-

petias

O o 5

Sæcul. XV.  
A.C. 1476.

**¶**cul. XV. petias attulisset. Nihilominus primas  
A.C. 1476. eo curas intendit, ut saltem urbem undique cinctam teneret; Placuit hoc Ducis consilium ceteris omnibus belli Præfectis, solus vero dissentiebat Campo-Bassius. Insignis enim hic proditor urbem juxta militaris disciplinæ leges toto belli apparatu obsidendum pertinacius contendebat, eo duntaxat fine, ut facilius sua exequeretur consilia, quibus Burgundiæ Ducem aut occidere, aut saltem capere, ejusque exercitum delere moliebatur.

## §. CIV.

*Detegendæ proditionis occasio a Bur-*  
*gundo neglecta.*

Igitur juxta Campo-Bassii sententiam Nancejum cunctis belli instrumentis oppugnatur, arcteque premitur. Lotharingiæ Dux, usque dum suppetiæ eidem promissæ advenirent, saltem ingentem annonæ copiam urbi inferre aggreditur, Campo-Bassii sollicitationibus consitus, qui eidem liberum in urbem aditum spondebat. Nihilominus Burgundiones currus, quibus commeatus vehebatur, intercipiunt, cunctosque præsidiarios milites, qui plaustra comitabantur, aut trucidant, aut capiunt. Hos inter erat Nobilis